Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift



De presbytero a frigore sanato.
De infantulo sanato.
De clerico disenterico.
De appenso absoluto.
De muto sanato
De muliere cuius manus contraxerat
De muliere illuminata.
De ceco illuminato.
De paralitico et duobus cecis.
De puero febricitante.
De his que in itinere gesta sunt.

Tertio ordinatione presbyter libello de uirtutibus beati Martini scribere incipientes gratias agimus omnipotenti deo qui nobis talem medicum tribuere dignatus est. qui infirmitates nostras purgaret. uulnera dilueret. ac salubria medicamenta conferret. Nam ad eius tumulum beatum. si humilietur animus et oratio sublimetur. si defluant lacrime et compunctio uera succedat. si ab imo corde mittantur suspiria. et pectora facinorosa tundantur. inuenit ploratus leticiam. culpa ueniam dolor pectoris peruenit ad medelam. Nam sepius tactus beati sepulcri pro fluuium inpauit sistere. cecis uidere paraliticis surgere. et ipsam quoque pectoris amaritudinem longe discedere. Quod ego plerumque expertus indignum me iudico. ut inter tantorum miraculorum moles. etiam illa hic inseram. que super me operari dignatus est. Sed iterum timeo ne noxialis appaream. si ea tamquam fraudulentus abscondam. Testor enim deum. et spem illam quam in eius uirtute posui. credens me ab illius misericordia non frustrari. quia quotienscumque aut dolor capitis irruit. aut timpora pulsus impulit. aut aures auditus grauauit. aut oculorum aciem caligo suffundit. aut aliis membris dolor insedit. statim ut locum dolentem uel tumulo uel pendente uelo attigi. protinus sanitatem recepi. mirans tacitus. in ipso tactu dolorem recessisse cum ceteris.

Quid autem nuper pertulerim primum inseram huic libello miraculum. Dum ad conuiuium residentes prandium ederemus. piscis infertur in ferculo. quem dominica cruce signatum dum edimus. una mihi ex aristis ipsius piscis in iurioisissime adhesit in gutture. que dolores commouens grauiores. incidebat fauces acumine. et ipsam gulam longitudine obserabat. Impediebat uocis sonum. et neque ipsum saliue liquorem qui saepe a palato defluit transire sinebat. Tercia autem die. cum neque tussiens neque excreans eam ualerem proicere. recucurri ad nota presidia. accedo ad tumulum prouolutor in pauimento. profusisque cum gemitu lacrimis auxilium deprecor confessoris. Dehinc erectus uelo qui pendebat. gulam faucesque et reliquum capitis attigi. nec mora sanitatem recepi. et priusquam limina sancta egrederer. nulla fatigacionem sensi. quo tamen aculeus malus deuenerit ignoro. non eum reieci prouomitum. non discessisse sensi in aluum. unum tantum scio. quod ita me in uelocitate sensi sanatum. ut putarem quod iniecta aliquis manu illa que iniuriam faucibus intulerant abstulisset.

Puella uero annorum xii omnibus membris debilis per vi annos tamquam mortua in domo parentum